

existere autem Dei est illi essentiale; & sic nego consequentiam.

61 Obijcies 2. essentia conuenit rebus independenter a causis secundis, existentia vero cum dependentia ab eisdem; ergo essentia distinguitur ab existentia.

Respondeo; nego antecedens; res enim a causis secundis, & non a Deo producuntur; tam enim essentia est creatura, & ens ab alio, non a se, quam existentia; ergo tam a creatura producitur illa, quam ista, & contingenter conuenit creatrix tam essentia quam existentia.

62 Obijcies 3. signum distinctionis realis, est separabilitas; sed existentia rei realiter separatur ab essentia rei; ergo rei existentia distinguitur a rei essentia, quia in corruptione rerum destruitur existentia illarum, & remanet earum essentia.

Respondeo, dando aduersariis maiorem propositionem, nego tamen minorem; ad probationem minoris dico, quod pereunte existentia periret etiam essentia, & tunc homo non est animal, nisi in sensu conditionato, & talis propositio conditionata est aeternae veritatis.

63 Instabis; ergo haec propositio, homo existit, erit aeternae veritatis, cum in sensu conditionato sit necessaria; quando enim existit, necessario existit.

Respondeo; nego consequentiam subsumptam, quia haec adducta propositio accepta, ut accipienda est, facit sensum, absolutum, non autem conditionatum.

64 Obijcies 4. essentia petri existentis nunc, est eadem cum essentia eius, quae fuit ab aeterno; ergo distinguitur ab existentia petri qui nunc est.

Respondeo; nego suppositum, quia essentia petri non fuit ab aeterno nisi secundum esse suum possibile liberè faciendum a Deo una cum causa secunda simul cum eius existentia indistincte; & sic etiam minorem propositionem nego; quia essentia petri fuit ab aeterno possibilis cum sua existentia possibili identificata; vnde sicuti ab aeterno essentia erat possibilis cum existentia identificata, ita modo est actu cum existentia sua identificata, & indistincta; quod idem dicendum est de essentia & existentia materiarum primarum si inueniretur in rerum natura.

65 Obijcies 5. franciscum existere hodie, & cras existere, non sunt idem, possunt namque separari; ergo existentia hodierna a crastina distinguitur; ergo franciscus non habet eamdem existentiam nunc, ac cras; habet nihilominus eamdem semper essentiam;